

dinem mercurius occupabit, sed quo magis deorsum per  
 terræ foveam dimittas, eo magis altitudinem mercurii in  
*Baroscopio* crescere, observabis. *vid. P. Gasp. Schottum in Techn.*  
*Curios. L. III. cap. IV. p. m. 206.* item *Georg. Sinclarum, in Arte*  
*Nov. & Magn. gravit. & levit. lib. 11. Dial. 1. Sect. 3. p. m. 127.*  
*seqq.* Hic se Phænomen. hoc tentasse asserit, in Provin-  
 ciæ Glottianæ editissimo monte, quem vulgò Tinto-  
 cum nomine indigitant, duodecimo Kalendas Octobris  
 Anni c15 13c LXI. & mercurium aliquot digitos depressio-  
 rem invenit, dum non ad undetrigesimum, ut aliàs con-  
 suevit, sed 27. circiter digitum defluxit. Postridiè non pro-  
 cul ipsis montis radicibus idem experimentum tentavit, u-  
 bi diversam reperit hydrargyri altitudinem, duodeciginta  
 nempe digit. Aliud tentavit experimentum die Saturni  
 sexto idus Septembreis Anni c15 13c LXV. circa pyramidem  
 lapideam editissimam, cujus fastigium centum & octoginta  
 sex pedibus ab ima basi quam exactissimè distitum fuit, &  
 ubi ope funiculi lentè cautèqve *Baroscopium* attractum es-  
 set, accuratissimè notavit, ex 32. unius digiti partibus, 5. subse-  
 disse, inde verò ad imum usq; reverso, ad pristinam ferè altitu-  
 dinem ascendisse. Idem & alia se fecisse experimenta recen-  
 set *loc. allegato.* Observavit id ipsum *Robertus Boyle Nob. Angl.*  
*qui (prout in Act. Phil. Angl. Mens. April. Anni 1666. p. m. 138.*  
*refertur,) diversis in locis Baroscopium collocavit, alterum Oxo-*  
*nij, quod situm fuit in loco inferiori, ad latus Tamesis, alte-*  
*rum in iugo mediocris montis, & ex horum Baroscopiorum com-*  
*paratione omni curâ ipse observavit, Barometrum Oxoniense,*  
*& alterum, quasi unanimi consensu ita subsidere, ut in illo sem-*  
*per mercurius fuerit  $\frac{3}{8}$  altior, quam in hoc.*

S. X. Causa Phænomeni hujus est Atmosphæræ gra-  
 vitas & pressura debilis, in montium verticibus existens, quæ  
 oritur à brevi admodum Cylindro aëreo, quem inibi esse vi-  
 demus.